DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

ARTHRITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE

ARTHRITIDE,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

Josephus L. Kovács,
Hungarus Toronyensis.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 7. mensis Aprilis Anni 1838.

VINDOBONAE.
Typis Congregationis Mechitaristicae.

— — cur nostro parvus in ore sonus.

Ovid.

PIIS MANIBUS

DOMINI

NICOLAI BARRA

DE HOMORÓD-ALMÁS

MEDICINAE CANDIDATI

IN PERPETUAM AMICAE MEMORIAE TESSERAM

TENUES SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

devinctissimus

Auctor.

Definitio Arthritidis, ejus momenta disponentia, excitantia ac causa proxima.

Phlogosis articulorum dolorifica, Germ. Gicht, Hung. Köszvény, Anglis Gout, Gallis Goutte, Italis Gotta; Graeco termino arthritidis nomen gerit; quae praegressis digestionis et assimilationis turbis, morbum sui generis constituens, nulli quidem aetati, sexui, vitae generi, vel provinciae parcit: frequentissime tamen otiosos, opipare viventes, viros, senes depontanos, matronas nobiles aequae, ac feminas et maritos sub certis, humorum cachochimiae, faventibus adjunctis existentes, pari iure plectit.

Causis disponentibus adnumerant: nativitatem a parentibus arthriticis, sexum et aetatem viriles, partim: quod mulier, testante *Hippocrate*, podagra non corripiatur, nisi ipsam menstrua defecerint; (Aphor. 28 — 30. Litter. IV.) partim fors majori jure propterea: quia viri vicissitudinibus aëris, quarum in generanda podagra potestatem nebulis obsessa Anglia, humida Hollandia, septemtrionalis Germania etc., luculenter evincunt; vi muneris sui plurimum exponantur. — Porro habitum scrophulosum, et rachiticum, quibus mulctati rarius arthritidis insidias evadunt; denique praeeunte *Sydenham* habitum arthriticum, qui corpore robusto, pectore amplo, capite grandi, membris torosis, irritabilitate majore, temperamento atrobiliari, secretionum anomalis, polyblennia et cuti aspera semet manifestans plurimas secundis avibus arthritidi, et in specie podagrae victimas offert.

Caeterum, sicut quilibet alter morbus, ita quoque arthritis, licet dispositio minoris gradus in organismo delitescat, per se tamen in apertum non prorumpit; nisi momenta accesserint, quae eamdem ultro evolvi jubeant: quod pluribus exemplis jam dudum confirmatum habemus. Imo Therapia et Diaeta convenientibus, haereditariam aut aquisitam scintillam mali practicis saepius exstirpare concessum est.

Ad excitandum igitur e semine malum, sequentia momenta sufficere contendunt: vitam opiparam, abusum carnis, praeprimis pinguis, casei, oleosorum, potus spirituosi et fermentati, vitam sedentariam, neglectum consuetorum exercitiorum corporis, curas graves, Venerem praematuram, aut excedentem, studia immodice culta, praeprimis nocturna; suppressionem, vel imminutionem excretionum cujuscunque generis, quibus sanguis defecatur; habitationem in locis paludosis, frigidiusculis, nebulosis; tandem morbos alios; qui praesente dispositione ipsam arthritidem, illa absente dolores, arthriticis similes provocant.

Circa proximam Arthritidis causam

plures existunt medicorum opiniones. Immortalis *Stoll* proximam arthritidis causam redundantiae humoris atrobiliarii in sanguine cum aucta irritabilitate solidorum tribuit; qui in vitali latice aut copia aut acrimomonia febrim arthriticam concitat, peccantemque materiam ex massa humorum per sudores, urinam, alvum partim eliminantem, partim depellentem ad artus, podagrae, chiragrae, etc. initium posituram. *Cullen*, plethoram abdominalem, cui diathesis arthriticae individua obnoxia sunt, accusat; quae tandem in atoniam extremitatum transit, semet in reliquo quoque organismo, praeprimis in laeso digestionis munere manifestatura; tumque sufficientem reactionem vitalem provocans e corpore egeritur, aut illi provocandae impar arthritidem retrogradam generat; aut omni reactione absente in atonicam abit. Si vero reactio quamcunque ob causam ad articulos pro-

pagari nequeat: fomes morbi alias, aliasque aggressura partes arthritidis vagae faciem induit. — *Sprengel* inaequalem virium nervosarum distributionem criminatur. *Darwin* in torpore hepatis quaerit causam morbi, perque inflammata ejus tegumenta vicariam articulorum inflammationem suscitari opinatur. Denique hypothesibus aliorum hic loci non allatis, *Choulant* pro proximo Arthritidis fonte apparatum assimilationis statuit, qui modo peculiari a norma aberrans, acidorum genesi favere videtur.

Divisio Arthritidis.

Dividitur Arthritis:

1. In haereditariam et aquisitam.
2. In regularem, et anomalam.
3. In manifestam et larvatam.
4. In genuinam, quae ex ipso processu vitali peculiariter alienato, seu sic dicta materia arthritica veterum originem repetit, et in spuriam, quae in gratiam aliarum dyscrasiarum, uti: scorbuticae, scrophulosae, biliosae etc. exoritur.
5. In simplicem et complicatam.
6. In febrilem et afebrilem.
7. In acutam et chronicam. Quae ultima divisio, quoniam omnes Arthritidis species complectitur; tamquam prae caeteris majoris momenti, elucubrationis meae principale objectum sistet.

Caput I.

Arthritidis acutae hypotiposis.

Sit, licet, ut Arthritis sub propria sibi facie erumpere minetur; aut alterius morbi mentiatur formam: utplurimum tamen suis prodromis nunquam caret. Horum alii universae vitae reproductivae labem praeseferunt, alii ad certas organismi regiones, extremitates potissimum inferiores semet restringunt; aliis interim irritabilitatis alienatae notam exprimentibus.

Symptomata laesi systematis reproductivi existunt: appetitus, aut saltem digestio langvens, cardialgia, sensus ponderis et plenitudinis in epigastrio, ructus acidi amarive, flatulentia, tormina, abdomen tumidum, polycholia cum statu pituitoso, molestiae haemorrhoidales, catameniorum anomaliae, blenorrhoeae variae, catarrhi pulmonum chronici, sapor oris metallicus, acidus, amarus aut fatuus; lingva spurca, alvus pigra modo, alias liquida, semper tamen irregularis. Quandoque volumen corporis inertis sub molis imagine sanitatis speciem simulat; alias conspectus aegri manifeste cachecticus palam ob oculos cadit.

Morbus ipse, qui cum vitae reproductivae vitiis continuo incedit, in decursu saltem regulari, extremitates inferiores seligit, in quibus corpus delicti, materia arthritica, faustiori ac aliorsum omine deponenda semet per suos praecursores annunciat. Articuli igitur hujus, illiusve extremitatis pruriunt, tantisper dolent, spasmis corripiuntur, frigent frigore venti ad instar perflante, vel aemulante guttam aquae delabentis; nec supor artuum, nec gravedo deest.

Sub hac rerum facie irritabilitas augetur, animumque aegrotantium dejectum reddens et mutabilem, anxietatem periodicam morosam inducit, ut munia secus consveta solito solertius exequantur: hinc Veneri litantes, hoc tempore in sui perniciem plus aequo genio indulgent; litterati in scientiis plus deliciarum inveniunt, hypochondriaci phantasmatum ludibriis magis abripiuntur, hystericae tandem malo habituali gravius tentantur; utrisque in inquieto somno mali lenimen frustra quaerentibus. Pulsus plerumque tangitur tantillum frequentior, irregularis, aut etiam spasticus. Ante paroxismi impetum observantur aegri hilariores, somno fruuntur tranquilliore, semet grato lenitatis sensu volare insomniantes; appetitus sensim acuitur, incalescit facies, lotium excernitur turbidum, odoris acidi; symptomata morbi remittunt, aut ex toto conticescunt.

Paroxysmus.

Postquam symptomata recensita breviori aut longiori tempore aegrum afflixissent; tandem numero et qualitate eo augentur: ut febrim excitent. — Artus unius, raro plurium simul articuli inflammari incipiunt, subita symptomatum remissio aegrotantes exhilarat; qui redeunte appetitu, vesperi quiete fallaci sopiuntur somno, ex quo de lege auroram versus, horrore aestu comitato correpti expergiscuntur. Quaeruntur modo in pedis digitorum quodam, praeprimis in halluce, ejus metacarpo, in malleolorum alterutro, ad calcem, in digitis manus, aut in pluribus simul artubus dolorem atrocem fixum; qui scindendo, lancinando, tendendo, etc. adeo saevit: ut laevissima saepe lecti stragula in parte affecta recusentur. Tactus membri, imo accessus praesentium cruciatus auget, hinc aeger eosdem aversatur metuens, ne membrum affectum contingant. Calor articulorum increscit, et quas, prius malum infestaverat, partium cutis nunc rubet, ac tumet erisipelati simillima; a quo tamen rubore pallidiore, splendore insigni, et dolore sub quavis articuli immutatione atrocissimo facile distingvitur.

Febrim, quae cum horripilationibus, et dolore atroci orditur, aestus universalis comitatur cum pulsu pleno, duriusculo, tenso, cuti sicca, urinis parcis, et profunde tinctis. Spatio circiter viginti horarum elapso, tum febris, tum dolores locales extemplo notabiliter remittunt, aegro reficientem somnum concedentes, tumore interim non imminuto, sed plerumque ultra crescente. Remissionem hanc excipiunt criseos partialis phoenomena: diffunditur super artus sudor universalis beneficus, in partibus affectis copiosior, exsiccatus pulverem nitentem referrens, quem pro phosphate calcis, et soda urica habent. Urinae sedimentum album aut lateritium, quandoque materia pariformi mixtum deponunt, eosdem ac sudor sales continent, qui in vasorum parietibus crystallos formantes, tantam iis acrimoniam conciliant; ut odorem intolerabilem alcalium spargendo vitrorum fundum

corrodere visae sint. Subinde exanthema criticum miliari analogum observatur. Ab aliis visus est fluxus haemorrhoidalis, aut profluvium serosum e naribus, imo et salivatio.

Transacto primo paroxismi nychtemero, proxima nocte altera ingruit invasio, quae primo ferocia parum cedens, et alternis diebus semper vehementior, febri intermittenti tertianae accedit, ac proin intra quatuordecim potissimum dies, septem partialibus paroxismis malorum agmen claudit. Redit nunc sensim appetitus, vires digestrices acuuntur, se- et excretiones normaliter procedunt, somnus evadit reficiens, virium vitalium et materiae organicae restauratio sensim, sensimque denuo incipit, membrorum affectorum integritas restituitur, et convalescentes animi serenitatem adepti, meliori ac ante exantlatum morbum sanitate gaudent.

Falleretur tamen, qui hostem pro semper abactum crederet. Post brevius enim, longiusve temporis intervallum certus ille, et eo citius revertetur, quo magis reconvalescentes causis inimicis patebunt. In genere, quae individua arthritidem unica solum vice, ac feliciter exantlarunt, si adjuncta morbo faventia evitare noverint, nonnisi post duos, tres, pluresve annos morbo rursus succumbent; quae vero malum jam saepius perpessa sunt, omni ferme vere et autumno, imo saepius per annum ab eodem corripi periclitantur. Sub insultibus eorum frequentioribus dolores decrescunt, febris evanescit, verum nunc articuli, prius incolumes, dolent, lenioresque sub exacerbatione dolores longiori mora compensantur. Quid mirum igitur, si reproductivum systema, cum cujus turbis arthritis semper pari passu procedit, energiam perdat, munerique suo obeundo impar, diathesim arthriticam organismo imprimat; qui, quoniam in morbum sufficienter reagere nequit, pessimae matris, adhuc pejorem sobolem arthritidem chronicam in lucem edit.

Therapia.

Quoniam nullus fere graviorum morborum similiter, ac arthritis regularis ex diaeteticorum penu tam facile tracta-

tur, nec frequentius in alio, quam in hoc medentis intempestiva audacia temeritatis poenam luit; qui naturae auxiliatrice dextra succurrere capit medicus: morbi prodromos, stadia, tempus item intercalare, reconvalescentem aegrum, omnia ejus adjuncta, nec non complexionem individuam, non tam quid factu opus sit, quam quid cavere oporteat, vigili observet oculo; sic enim fiet, ut si etiam generosis medicaminibus non, prudenti tamen consilio, opem flagitanti omni tempore praesto esse valeat.

Siquis igitur dispositionem in malum in sinu foveat, aut eodem alias jam laboraverat, ejus, erumpere vel recrudescere volentis signis praecursoribus monitus, iterum, iterumque reflectendus erit; ut corpus integrum, potissimum vero extremitates inferiores contra vicissitudines aëris apto amictu custodiat, cibis, digestioni facilius cedentibus, et iis temperate utatur, corpus in aëre libero moderate exerceat, somnum protractum fugiat, curisque, quantum licet, expeditus pathematum violentiis viriliter resistat. Conetur insuper colatoria omnia aperte servare, idque regimine diaetetico non assecutus, ad eccoprotica confugiat.

Paroxysmo praesente, characterem et gradum febris, naturam aegri individualem, quid sit agendum optime consules. Febris intensa et characteris inflammatorii juniorum, ac constitutione robusta praeditorum, methodum antiphlogisticam, solventem et leniter diapnoicam utique exposcet, quod quidem eo magis, si ejus intensitas augetur, encephalo, aut organis spiritalibus exitio minatur, aut vehemens inflammatio topica accedit. In penultimis casibus venesectiones cauta manu institutae proponuntur a multis medicis, locali vero phlogosi ad leniendum dolorem applicatio hirudinum svadetur. Aliis magnae auctoritatis viris, a phlebotomia prorsus abhorrentibus, ejus vices muriate ammoniae, nitrate lixivae, et potibus refrigerentibus supplere placet. Quod serio animo perpendens, nec his, nec illis veritatem adjudicare auderem; cum et haec et illa medendi ratio, suo modo et

loco adhibitae ad desideratam ducant metam; inepte tractatae ambae pariter, ac etiam audacior emeticorum usus aegri miserias exasperant. Nec mirum, quocunque enim modo vires ad reactionem necessariae infringantur, tristes exhaustae energiae effectus iidem erunt. Hac de causa nimiam intentionem mentis, exercitia corporis usque ad defatigationem producta, ac ingurgitationes sub quovis morbi stadio aegris strenue interdicimus.

Quid porro praeter enumeratos sales et venaesectionem e tribu antiphlogisticorum cuivis speciali casui conveniat, morbi symptomata, complicatio, aegri aetas ect. indicabunt. Febris lenioris gradus, et cum articulorum phlogosi inversa ratione decrescens heroicis absolute non eget, illam potius regimine diaetetico, diapnoicis, et mitioribus eccoproticis depellere adnitimur. Partes dolentes stupa canabina, panno laneo, pellibus cuniculorum, apud ditiores etiam cerato sericeo involvi jubemus; hujus loci etiam sunt cataplasmata emollientia partibus tumidis imponenda, earumdem vaporibus aqueis irroratio, attendendum nihilominus ne pars dolens refrigerio exponatur. Nemini praeterea non est notum, inflammationi indolis erisipelatosae humida nequaquam convenire, in quo casu igitur cataplasmatum, similiumque humidorum fomentorum usum non esse faciendum, per se patet. Si vero metastatica articulorum inflammatio langvet, eosdem panno, Olibani, Masticheş, aut Benzoës fumo imbuto, caute fricando, et non obstante dolore, motum exercendo, irritare indicatur.

In individuis sensilioribus quandoque febris in principio inflammatoria, in eamdem characteris nervosi aut putridi vergit, imo etiam reipsa transit; methodumque stimulantem reddit necessariam. Hunc in finem: vinum antiquum, spiritum C. C. succinatum, valerianam, angelicam ect. in usum sumimus.

Symptomata, quae in morbo altioris gradus dirissimis doloribus et sudore profuso semet exprimunt, medicum ma-

xima omnino attentione dignari decet. Ad sistendum quidem sudorem, qui remissionis tempore nonnunquam cum siti, languore et inquietudine continuat; aegri alvum semper liberam servamus, cibos et potus calidos subtrahimus, corpus laevius tegi, et indusia mutari jubemus; svademus aegro ut pervices in lecto sedeat, corpusque suum aestuans, vitato refrigerio, panno sicco saepius abstergi curet.

Vi febris fracta, si articulorum simul phlogosis bene evoluta sit, dolores mitigare licet, imo et debemus; iis enim longiori tempore saevientibus, vires vitales atteruntur, et tandem exhauriuntur. Hoc scopo narcotica: imprimis hyosciamum, nequaquam vero opium in auxilium vocamus.

Victum robustis tenuem ordinamus, et febri, phlogosique adhucdum saevientibus, nonnisi vegetabiles cibos exigua portione porrigimus, aromata et spirituosa strenue interdicimus; potum admittimus aquosum, mucilaginosum, subacidum. Debilioribus vero et exhaustis inter vegetabilia carnes teneriores miscemus, et vino adsvetis, modicam ejus portionem largimur. Intelligitur utique, nutrimenta, prouti qualitate, sic et quantitate viribus apprime convenienter esse concedenda. Respicienda quoque est exacerbatio, quam aliquot horis assumtio alimentorum semper praecedat; ne aegri vires utique attritae, sub eadem insuper per digestionem distrahantur.

Conclave, in quo decumbit infirmus, sit moderatae et aequabilis temperiei, ac eventillationi aptum, sub qua, ne quid detrimenti ex repentina aëris mutatione in aegrum redundet sollicite cavemus; ei animi serenitatem conciliare studemus; eum solamur, monentes simul, ut curis liber quiete se contineat; inde etiam adstantibus serio injungimus, ut quidquid animi motus excitare valeret, promte ab illo removeant.

Hac agendi ratione voti compotes, nequaquam subsistimus, imo omnem navamus operam, ne, qui malo feliciter evaserat reconvalescens, in idem relabatur. Attentionem

ante omnia dirigimus ad evacuationes criticas, quas, si adhuc continuant, corpus morbo sensilius redditum, praecipue vero pedes vestimentis densioribus muniendo, caute sustinemus, escas et potulenta, viribus et exercitiis corporis convenienter propinamus; motum corporis, coelo sereno, commendamus convalescenti in aëre libero etc. quibus omnibus alvi, et secretionum reliquarum anomaliae plurimum coercentur, et status normalis, sensim, sensimque feliciter reviviscit. Summam vero in hoc stadio medici curam organa digestionis flagitant, quae durante morbo plurimum passa, in statu nunc fere inerti torpent, quibus restaurandis roborantia amara, apud seniculos et bibones etiam vina generosa, imprimis Tokajense, quod reliquis praeter amoene stimulantem vim, eadem nutriente praecellit, justa mensura sorbillata indicantur. Fortuna caeptis obsecundante paulatim transgredimur ad chinchonacea, et martialia; escas iis bene nutrientes jungendo.

Convalescente miserias morbi laete emenso, statuque habitualiter normali jam praesente, de cura radicali cogitandum: quam secundum clarissimorum in Medicina virorum praecepta pro loci angustiis et incipientis viribus breviter proponere adnitar.

Quoniam effectus sine causa non existit, hinc etiam arthritis, excepta haereditaria dispositione, nonnisi momentis superius inter causas disponentes et excitantes enumeratis, existentiam debet, suapte proin liquet; ejus quoque exstirpationem cum evitatione influxuum nocivorum esse ordiendam; totamque curae paginam eo absolvi; ut, quae morbum antea produxerunt, momenta evitentur; et organismus ad iis resistendum firmetur.

Hinc, qui intemperantia morbum sibi contraxerunt, victum deinceps simplicem sensim necessitati magis, quam palati desideriis attemperent; qui selectis et aromaticis cibis potissimum hactenus vescebantur, cum pauco aromate utriusque regni alimentis utantur; cuncti vero a pingvibus, glutinosis, tenacibus, dispeptis, ad acida et flatus generandos

pronis solerter abstineant. Qui in gratiam vitae sedentariae morbo succubuerant, corpus in aëre puro exerceant; qui animi pathematibus oppressi perdiderant sanitatem, iis viriliter resistentes, serenitati studeant; qui Venerem nimis antea coluerunt frequentes amplexus fugiant; denique qui exemplo sanorum seducti corpus debiliusculum plus aequo aëris vicissitudinibus incauti exposuerant, calidius, quam secus temporis ratio exigeret, semet vestiant; verbo: omnia, quae morbo opitulantur, et quae medicus convalescentibus suo tempore inculcare non negliget, spretis, quae hodie apud exaltatos adeo invaluerunt phantasmatum productis, et cura pro universali venditata, rationalis medici sincerum consilium promti exequantur.

Ad exhilarandum animum svadentur itinerationes per regiones coeli mitioris, cultus artium nobiliorum, quae nimiam mentis intentionem non deposcunt, uti: picturae, musices, spectacula animum exhilarantia, librorum amoeniorum lectio, quibus objectorum varietate distracta mens nativam serenitaten adipiscitur.

Ad roborandum corpus conducunt, motus quotidie instituti, qui, coelo propitio, in aëre libero magis prosunt, equitatio item; vectionem et frictionem debilioribus asservamus, qui priorum ob virium lapsum participes fieri non possunt. Plurimum autem commendatur arthriticis, ut, matutino tempore, sub viridibus arborum frondibus morentur, subinde fungantur hortulani munere, plantaria enim fodicando, surculos transplantando, floribus aquam adspergendo, similibusque occupati, aërem, quem terra recens sauciata exhalat, gemmae et folia arborum viridia spirant; saluberrimum imbibunt, motibus artus firmant, transpirationem cutaneam promovent; quo fit: ut digestionis et excretionum functiones rite procedant, et animus occupationum varietate distrahatur.

Cubile, quod arthritici inhabitant, sit amplum et aëri pervium, hyemis tempore moderate calidum, aestate degant ruri loca altioris situs sibi seligentes, non immemo-

res valles depressas, et quidem eo magis, si in illis liber aëris fluxus intercipitur, sibi esse perniciosissimas. — Nec, favente tempestate, balnea negligant, incipiendo a tepidiusculis, et sensim transeundo ad frigida, quae, sub aestu ardente, non modo pro momento sensibus arrident; verum etiam caute usurpata organismum roborando, ejusdem pro arthritide receptivitatem mirum in modum saepe infringunt.

Quod remedia ipsa concernit, illa potissimum ex narcoticorum tribu desumuntur, uti: aconitum, digitalis purpurea, stipites dulcamarae, radices bardanae, caricis arenariae, graminis ect. Praeter narcotica celebrantur: rheum, antimonialia, sulphur, quajacum, et assa foetida. — Quale vero ex adlatis cuivis speciali casui sit opponendum, status diagnoseos et momenta indicationum luculenter indigitabunt.

Prognosis.

Arthritis in se quidem morbus lethalis non est, attamen ob causas amovendi difficultatem, et eo, quod saepe organa nobilissima subitaneo insultu obruat, et plerumque insanabilis sit, morbis maximi periculi plenis merito adnumeratur. Insanabilis est partim ob morbi naturam, qua ejus fomes organismo tam alte inhaeret, ut absque fausta organismi metamorphosi tolli nequeat; partim ob aegros ipsos, qui, constantia, qua opus est ad influxus noxios vitandos, destituti; animi pathematibus abripiuntur, sincerique medentis consilia ad amussim observare detrectant.

In genere periculo minatur morbus, dum insultu aperto, vel clandestinis insidiis, externis relictis, in interna nobiliora organa saevit. Malum est omen, si dolores antea cruciantes subito cessant, sicut etiam illud, si tempore, quo insultus morbi, nisi restrictus, eradicatusve esset, ingredi deberet, senes arthritici apoplexia opprimantur.

Ad casus speciales dijudicandos, aegri aetas, corporis constitutio, vitae genus, morbi causae, forma, complicatio cum aliis morbis, anni tempus, tempestatis, ac genii epidemici rationes sunt in considerationem sumenda.

Arthritis regularis intra 35 — 45 aetatis annum certis anni temporibus semel aut saepius recurrens, excepta dolorifica, brevius, aut longius durante periodo, aegri sanitatem parum laedit ita, ut quidam podagricorum seram usque senectutem hilarem vivant vitam. Minime vero fruuntur hac felicitate omnes arthritici; sed plurimi insultibus repetitis per dolores tamdiu divexantur, donec tandem systema reproductivum adeo patiatur, ut aegri emaciati febri hecticae obnoxii evadant. Pejor adhuc sors, testante celeberr. *Richter*, manet juvenes floridos, in quibus malum rapidissima capit incrementa, et naturae vim supprimens, artisque armis elusis, plurimum perniciem parat; pessima vero senes exhaustos, quibus vires ad reagendum morbo deficiunt. Hinc decursus morbi irregularis, variae, quas ludit formae, tumores frigidi, indurationes, articulorum rigiditas, et variae desorganisationes derivandae.

Dispositio in arthritidem haereditariam fere semper infaustam admittit prognosim; constitutionis vero robustae sangvineo-cholerici violentos quidem patiuntur insultus: ast morbus in iis potissimum regulariter decurrens, vitiis organicis aegrum rarius infestat; ac caeteris paribus, in his magis, quam in aliis aegri constantiam, medentisque dexteritatem felix curae exitus coronat.

Sensiliores et habitus nervosi arthritici, mali nominati, diversissimas formas mentientis insidiis plurimum patent; quae saepe optimos medentis conatus eludentes, desorganisationibus multifariis aegrum molestant, tristemque miseriarum scoenam dudum exoptata mors serius, ocyusve claudet.

Nec vero, ut supra jam dixi, morbus semper inculpandus est, quo minus aegri eodem se expedire nequeunt; verum ipsimet, qui tempestiva medentis consilia amplecti

renuentes, Veneris, Bachi abusu, ac voracitate nimia hostem in sinu proprio sponte tamdiu nutriunt, donec idem caput adeo extollit: ut potentissimis armis resistendo par, infelices suas victimas victas dare manus cum triumpho cogat.

Magno sanitatis recuperandae obstaculo sunt etiam habitationes frigidae, humidae, in regionibus lacubus obsessis, et profunde sitis; in quantum igitur adjuncta memorata mutare in aegri esset potestate: in tantum etiam nobis de futura illius sorte fausta vaticinari permitteretur. — Haec de arthritide meraca; nunc de ejus complicationibus quidquam est dicendum. Si jam ad simplicem morbum exstingvendum aeger et medicus cum tot difficultatibus colluctari debeant; sponte sequitur complicationes ejus, pericula prioribus multo majora portendere, idque eo magis, si complicationes jam perse spectatae malo omine minentur. Harum igitur indoles, cum eadem arthritidis praesentis, cum adjunctis morbo, aut sanitati faventibus, aut dominante forsan epidemia arthritica, collata circumspectam presagientem diriget.

Caput II

De Arthritide chronica.

Symptomata, quibus arthritis acuta insignitur, chronicae quoque arthritidi potissimum sunt communia. Ab acuta decursu admodum lento, per annos, subinde omnem aegri vitam comitante discernitur; qui absque perfecta intermissione, affectionibus topicis in exsudationes pronis junctus, truncum, internaque organa petit, articulorum phlogosim aut non, aut saltem imperfectam excitat; et quae ad febrim, si fors haec adesset, non ea ratione, ac in morbo regulari se habet. Discernitur praeterea lenitate paroxysmorum, qui absque febri plerumque et anomale decurrunt; unde arthritis chronica, etiam arthritis anomala audit.

Plurimas quidem arthritis chronica anomalias agnoscit, missis tamen aliis, notabiliores solum ejus species nobis pro spatii angustiis adducere sufficiat; uti sunt:

a) Arthritis atonica, quae absque articulorum inflammatione aegrum affligit, et febricula longiori tempore durante sub artuum doloribus eumdem depascitur.

b) Arthritis vaga, cujus indolem nomen ipsum jam satis exprimit, ad modum enim rheumatismi ex una corporis parte in aliam resiliens: dificillime figitur.

c) Arthritis retrograda, vel retropulsa, dolore, in organis interioribus repente exorto, dignoscenda. Dolor in sensilioribus subjectis major, minor vero in torpidis observatur.

Cum arthritis chronica morbum adeo protheiformem sistat, suo loco nobis hic esse videtur, aliquid de signis diagnosticis arthritidis larvatae disserere, tum ejus species frequentiores enumerare.

Suspectus est generatim quivis morbus, qui arthritidi evanescenti illico, aut saltem paulo post supervenit, aut arthritide nondum penitus evanescente, ast multum mitigata ingruit; aut si arthritis regularis non praecessit quidem, sed una invasit aegrum cum praesente morbo; ast hic illa ingravescente mitigatur, et vicissim ingravescit. Si vero arthritis anomala sine praegressa, vel concomitante arthritide regulari oriatur, respiciendum: an praecesserit causa disponens vel excitans pro aegritudine, de qua dubitatur, num sit arthritis larvata. Si non praecessit, attendendum: an subjectum quondam arthritide laboraverit, aut saltem ad arthritidem dispositum sit; an non prodromi arthritidis praecesserint; an non superveniat arthritis regularis cum magno morbi levamine; an hic morbus non alternet cum arthritide regulari, quae si adesse deprehendes, jure concludes arthritidem coram te habere:

Tot vero sunt arthritidis anomalae sub quibus grassatur formae, quot partium internarum morbi. Occurrit igitur arthritis:

1. Sub schemate morborum abdominalium.
2. Sub schemate morborum thoracis.
3. Sub schemate morborum encephali, et nervorum.
4. Sub schemate morborum cutaneorum.

Ex morbis abdominalibus molestissimam scoenam ludunt aegritudines ventriculi, quae in debilitate hujus organi congenita, aut aquisita fundatae, frequentia et gravitate aegrotantes cruciant. — Symptomata, laesum organi ad vitam summe necessarii munus palam facientia numerantur: anorexia (saepe tamen appetitus voracior) bradipepsia, vomitus saepe moderatus et chronicus, saepe vehemens et exhauriens, cardialgia, sensus ponderis, repletionis jejuno etiam ventriculo, sensus frigoris in ventre per menses durans; cephalalgia, vertigo, interdum scotomia; morbo provecto supervenit pallor faciei, imbecillitas universalis, et nisi apta medendi ratione revocetur arthritis regularis, dolore, langvore et inedia confectus aegrotans, tandem occumbet.

Sub forma morborum pectoris arthritis anomala catarrhum, tussim, peripneumoniam, pleuritidem, phthysim pituitosam, haemoptoën, asthma chronicum, hydrothoracem, et anginam simulata potissimum comparet.

Nevrosium formam induens, sub specie vertiginis, apoplexiae, hypochondriae, hysteriae, melancholiae, epilepsiae; aut quorumcunque demum morborum systematis nervosi, praeprimis in senilioribus latere potest. Aliquando oculos aggressa lippitudinem chronicam, cataractam, et amaurosim provocat, quae saepissime oritur, ulceribus, quae in pedibus arthritis induxerat, incaute sanatis.

Denique e morbis cutaneis faciem imprimis erisipelatis chronici praediligit; nec respuit tamen et formam aliarum efflorescentiarum cutanearum, uti: herpetis, pustularum, erisipelatis vagi, macularum scorbuticis et petechialibus similium, quae tamen efflorescentiae pro crisi arthritidis merito habentur.

Therapia.

Quodsi jam in arthritidis regulariter decurrentis Therapia medicum ad plura momenta attentum esse oportuit; quis ignorabit in curanda arthritide anomala eumdem majori adhuc perspicacia et circumspectione egere; cum in hac non modo aegri individualitas, adjuncta, gradus morbi et similia consideranda veniant, verum etiam naturae singulorum quae patiuntur organorum peculiaris habenda est ratio propterea: quod in hac, sic dicta antiarthritica, omnem medendi paginam minime semper absolvant.

Praemissis ergo constanter fidi; modo adhibemus methodum emollientem, modo pacantem, diapnoicam, aut diuresim promoventem, modo leniter solventem et per alvum evacuantem, alias stimulantem, sopientem alias; in his casibus roborantibus, in illis antagonisticis utimur. Quae omnia rite combinare, et suo quaeque medicamina loco porrigere, nonnisi ex rite statuta diagnosi poterit medicus.

Quid vero arthritidi atonicae in specie opponendum sit, ex consideratione organi malo obsessi, aut systematis, cujus debilitate eadem originem debet, patebit. Visceribus abdominis eminenter laesis, primae viae purgantibus mitioribus reserantur primo; tum fit transitus ad roborantia itidem leniora, uti sunt: amara, amaro-aromatica; tandem viribus digestricibus eum in modum firmatis, ut roborantia fortiora ferant: cortex peruvianus ac ultimo martialia finem curae imponent. Systemate autem reproductivo tantopere adfecto, ut status pituitosus, blenorrhoeae pertinaces, collectio serosa in variis locis, glandulae tumentes, infarctus varii generis statum manifeste cachecticum ob oculos ponant; systematis lymphatici functionem restituere inter primas medentis curas spectabit. Quem in finem remedia antimonialia, alcalia, sulphur, quajacum, sapo medicinalis, aliaque solventia, cauta tamen manu, dispensentur; ne longiori usu vires magis adhuc exhau-

riendo, cachexiae praesenti nova addita, vitam aegrotantis molestam, eamdem reddant intolerabilem.

In arthritide vaga eo potissimum allaborandum, ut eam a partibus internis arceamus; illam ad partes minori periculo expositas, praeprimis illas, quas fors alias jam occupaverat; vesicantibus aliisque irritantibus, revellenti methodo, solventia, alterantia, diaphoretica pro re nata jungentes, reducere conemur.

In arthritide retropulsa observandum: quale organon morbus aggredi nitatur; hac de re ex symptomatibus arthritidis larvatae superius jam propositis edocti, si cerebrum, pulmones, aliaque majoris dignitatis organa inflammatione corripienda periclitentur, debilitate universali non obstante venaesectio facienda, tum reliquis antiphlogisticis neglectis, clarissimorum in medicina virorum consilia eo redeunt, ut volatiliter stimulantibus vires collapsas refocillare, et cutis transpirationem restituere studeant. Utuntur autem in malo minus praecipiti infuso melissae, menthae, valerianae, aliisque diaphoreticis lenioribus; urgente vero periculo: oleis aethereis, spiritu C. C. móscho, et praeprimis camphora.

Rigiditas et imbecillitas articulorum optime curatur, fomentis, cataplasmatibus, balneis, iterata frictione laevi. Fortiores vero membri adfecti irritationes, uti: per pediluvia alcalina, synapismos, vesicantia, ferrum candens etc., magis revellentium vices in casu necessitatis agere, quam rigiditatem ac immobilitatem tollere, non aliquis facile in dubium vocabit.

Succincta, quam arthritidi universim, et praeprimis chronicae opposui Therapia malo tam multiplici ex respectu difficillime sanando, numero absoluta utique non est, nec esse potest, cum praeter allatas morbi anomalias, plurimas alias ob spatii angustias hic intactas reliquerim, illas in scriptis auctorum relegisse, et universalem morbi imaginem dedisse contentus. Animo enim convictus ultro profiteor, quod, susceperam opus, nec debilibus tironis humeris convenire,

nec coarctatis aliquot pagellis posse absolvi. — Caeterum et non memoratas anomalias a medico, qui morbi diagnosim, ex qua indicationes sponte fluunt, completam fecerit, adjuvante rationali Therapias convenienter tractatum iri; prorsus non diffido.

De differentia inter Arthritidem et Rheumatismum.

Praeterea, quod arthritis, sub formis morborum supra propositorum frequentissime occurrat; ratione suorum phaenomenorum rheumatismo tam prope accedit: ut quanto magis, hos morbos ab invicem discernere, medicum expedit, eosdem discernendi negotium tanto majus sit. Fallaci enim saepe symptomatum similitudine seducimur ita; ut nisi complexionem individui, ejus in hunc vel alium morbum dispositionem; et caetera mali adjuncta respexerimus; alter modus ad dissipanda dubia haud supersit. Unde etiam factum esse videtur, quod cel. *Dzondi*, utrumque morbum non natura, sed gradu solum differre declaraverit. — Caeterum ego, quid veri ingeniosa haec theoria contineat, non scrutans, nominatorum potius morborum differentias exquirere satagam.

Existunt quaedam, haereditariae in arthritidem dispositionis, individua, quae, si causis rheumatismum excitantibus exponantur, jam huic, jam arthritidi succumbunt, atque in his ex causa excitante ad effectum concludi non potest; verum sequentia generatim diagnosim facilitare videntur. Arthritis ex haereditaria vel aquisita dispositione oritur, et communiter ante 30 aetatis annum non evolvitur; pro rheumatismo dispositio peculiaris non datur, saepe enim homines sanissimos cujusvis aetatis subito adoritur; et si quae adest dispositio, illa cuti tenerae, molli, erga aëris vicissitudines nimiam sensili innititur; dispositio vero arthritica non adeo in cutis sensilitate, quam potius in turbis organorum digestionis fundatur. Arthritis prodromis, brevius, longiusve antecedentibus semet annunciat, qui saepius per annos ob-

servantur ; rheumatismus sine prodromis repente invadit. Causae arthritidis sunt multiplices, gliscunt potissimum occulte, durant diutius, pedetentim agunt, semper sunt in relatione ad abdomen ; hinc malum sensim evolvitur. Rheumatismus unicam eamque semper notam causam occasionalem agnoscit, suppressam nimirum transspirationem cutaneam per refrigerium, et nonnisi post causam manifestam revertitur; reditui arthritidis potest quidem causa occasionalis ansam praebere, ast illa etiam absque hac erumpit; rheumatismus non disseminatur per contagium; arthritis propagatur etiam contagio. Causae rheumatismi a temporum et locorum vicissitudinibus adeo pendent, ut ille saepe epidemice aut endemice dominetur; arthritis vix non semper sporadice deprehenditur; causae enim ejus procatarticae ita constitutae sunt, ut quomodo epidemice possit oriri, sine difficultate non concepiatur. Febris rheumatismum comitans, pro hujus majori aut minori gradu plus minus ad sinocham accedit; febris arthritica magis sinocho est similis. Rheumatismus articulos humeri, genu, cubiti, rarius antibrachii, rarissime digitorum manus, et pedis molestat; arthritis vero praeter majores articulationes, praesertim illas digitorum pedis et manus infestat. Rheumatismus principio in internis partibus non oritur ; sed ab extus interiora versus vergit; arthritis etiam in principio in interna quadam parte sedem figere potest. Medorrhoea; et leucorrhoea originis rheumaticae non dantur; quod de arthritide nullatenus negari potest. Rheumatismus, quo frequentior redit, et quo magis chronicus evadere minatur; eo libentius unam eamdemque partem praediligit; dum in arthritide semper contrarium obtinet. Denique Rheumatismus praecaveri, et in germine jam suffocari potest, imo cum fructu suffocatur; arthritis vero evoluta nunquam sine discrimine sufflaminatur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In arte medica commenta multorum, serius, ocyusve delevit dies, veritatem vero confirmavit.

II.

Trium naturae regnorum penitior cognitio, ad condiscendum medicinam, tutissimam viam pandit.

III.

Multa graviditatis signa ante quintum mensem sunt incerta.

IV.

Anatomia comparativa plurimam Physiologiae lucem affudit.

V.

Quaevis provincia, quaevis aetas, omnisque status suos agnoscit morbos.

VI.

Plurimi morbi mentales sequelae sunt educationis perversae.

VII.

In selectu medicaminum cernitur medicus.

VIII.

Omnis morbus universalis oritur ex locali.

IX.

In usu herbae Nicotianae discrimen aetatis, temporis ac temperamenti sedulo observandum.

X.

Venaesectio conjecturaliter instituta semper damnanda.

XI.

Medicus operationes chirurgicas non exercens, praestat chirurgo disciplinis Medicinae solidis destituto.

VIENNAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.
1838.